

# NOBILI ET MAGNIFICO VIRO, DOMINO IOANNI GEORGIO ILSONGIO S. CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSULARIO & generali per Suæuam Præfecto prudentissimo, Domino ac Patrono suo, Ioannes Geilenkirchen Iuliacensis S. P. D.



**R**I<sup>A</sup> ad omnium artium & scientiarum perceptionem necessaria esse, Nobilis ac magnifice Domine IlSongie, naturam, artem & exercitationem, grauiter Plutarchus περὶ πάθων γνῶμη differit, ita ut eum, qui uel uno horum destitutus est, frustra ad solidæ eruditionis fastigium eniti, & contendere assueret. Natura enim sine arte, cæcitas absq; natura, mutila: exercitatio sine utraq; imperfecta est. Etsi uero iure dubitatur, quod nam istorum trium ad ueram doctrinæ gloriam comparandam plus conferat: ego tamen in usu atq; exercitatione plus quam in reliquis esse momenti, omni assueratione dixerim: Neq; enim obscurum est, multos nulla illustri natura præditos, qualicunq; doctrina instructos, exercitationum diligentia, naturæ uitium feliciter correxisse: contrâ non raro uideas, præstantissimam naturæ bonitatem, quantumvis artis præsidio suffulgam, exercitationis neglegtu, nihil Reip. salutare, nihil amicis utile, nihil deniq; sibi gloriosum præstare. Proinde qui naturæ quacunq; præstantia instiges, quacunq; eruditio excellentia præclari, absq; usu & exercitatione cum aliarum artium, tum maxime ueros iuris prudentiae fructus se percepturos sperant, ne illi egregie, meo quidem iudicio, falluntur. Quemadmodum enim noctua perpetuis tenebris assueta Solem intueri non potest: Sic isti sedentarij, qui domi tantum mutis magistris operam dederunt, multitudinis in foro conspectum ferre, & legalis scientie officia exequi non possunt. Accessarium est n. ut huiusmodi scholasticis uelationibus paulatim exerceamur, si ad serias & grauiores in Rep. concertationes subeundas quaq; instructi & parati uideri cupiamus. Quain re plus quam uerbis exprimi potest, debemus cum alijs huius celeberrimæ Ingolstadianæ Vniuersitatis Professoribus & Præceptoribus nostris, tum maxime clarissimo & excellentissimo D. Ioanni Ossanæ Syluæducensi, præcipue nobis obseruando Præceptor, qui non solum ut naturam nostram doctrinæ recte formare, sed etiam doctrinæ exercitatione perficere posse, indefesso studio laborat: Cuius etiam auctoritate ego istud onus, quamquam meis humeris longè impar, in me suscipere non dubitau. Tibi uero, Magnifice Domine IlSongie, hunc quantum quantū laborum meorum fructū inscribere uolui, primum ut incredibilis eius humanitatis, qua me proximè Augustæ complexus es, grata memoriā declararem: deinde ut, si quid in me est ingenij, quod sentio quam sit exiguum, aut si quid artis, quā in me esse minimam fateor, id ab eorum studiorum, in quibus carissimos tuos filios à me probè institui desideris, exercitatione non abhorre cognoscas, Benè uale, Domine cum primis mihi obseruande, Ingolstadij ipsius Idibus May, Anno M. D. LXIX.

## SINGVLARIA QVÆDAM, QVÆ DEOPROPITIO, FAVENTIBVS DECANO,

caterisq; clarissimis ac doctissimis facultatis iuridicæ Professoribus, Præside Ioanne Richardo Ossanæ I.V.

Doctore, Codicis & ordinario Institutionum Professore defendere conabitur I.G.I.

I. Duplex tantum ius esse, quod recte ita dici queat, naturale seu gentium & civil. contra Vlpianum & Iustinianum cum Cicerone & Caio nostro defendemus.

II. Insignis fuit Triboniani error, existimantis ueteres Romanos ex obscaena humani corporis inspectione pubertatem dijudicasse.

III. Testamenti factionem non publici, sed priuati iuris esse docere conabimur.

IV. Tres tantum conuentionum species esse, publicam, priuatam & legitimam declarabimus.

V. Omnes omnino conuentiones seu contractus ex iure gentium ortas esse credimus.

VI. Lapsum igitur esse Connatum non dubitamus, putantem eius esse conditionis publicas conuentiones, & debere suis uiribus sic ualere, ut eas ad iuris gentium uel ciuilis regulas dirigi nequaquam necessum sit.

VII. Ad consuetudinis introductionem præcisè decennium resquiri non concedimus.

VIII. L. i. De lega. i. cuius auctorem Vlpianum esse contra Duarenus tenemus, ueram sententiam, paucis cognitam, nos tradere posse speramus.

IX. Falsum esse quod Iustinianus alibi dixit Hippocentauros in rerum natura nec esse, nec esse posse ostendemus.

X. Vlpianum in L. Quærer, De uerb. signif. monstrolos partus fato fieri opinatum errasse, non est nobis religio affirmare.

XI. Quod Iustinianus alibi inquit, sua dispositione primum introductum esse, ne in deposito compensatio locū habeat, uerum esse negatur.

XII. In L. Si is cum quo, ff. Commu. diuid. rectius legi, ad editum, uel, ad delictum, quam, ad delectum, ut Duarenus male coniecit, eturam fecit, palam faciemus.

XIII. Romam iccirco primum communem omnium patriam esse uocatam à Modestino, quod omnes qui in orbe Romano sunt, ex constitutione Antonini ciues Romani effecti sunt, contra Alciatum uerum esse negamus.

XIV. Inuecta & illata coloni in prædiū rusticum ex sola scisentia domini, absq; etiam expressa conuentione censeri pignori obligata, non admittimus.

XV. In diuisione fructuum arboris in confinio natæ, non esse habendam rationem aëris fundo superfusi, sed radicum, contra Ioannem de Buteo manifestum faciemus.

XVI. De iure ciuili actionis nomen exprimere necessum fuisse demonstrabimus.

XVII. Obligationum ex delicto nascentium proximam causam esse consensum delinquentium ad paenam, falsum esse statuimus.

XVIII. Adulterium poena sanguinis iure ciuili à Constantio, & Constante Impp. primum vindicatum fuisse, ut Cuiacius alibi docuit, inficiamur.

XIX. Fratrum filios defuncto patruo in capita, non in stirpes succedere debere etiam apertis testibus, ita ut frustra alibi Zasius glosrietur in suam sententiam Imperatorem nostrum Carolum V. Spiræ hoc decidisse, euidenter potest probari,

XX. L. Falsus, de furtis, cum l. i. § fin: & L. s. ad L. Rhod. de iact. probabiliter conciliari posse opinamur: at l. i. De reg. Caton. cum § Sed si rem legatarij. Instit: de lega. qui conciliauerit, eum circum quadrare posse dicemus.

XXI. Si filio preterito uel sine cauſa exhaeredato, haeres extraneus instituatur, & rogetur per fideicomissum alicui restituere haereditatem, irrito facto testamento, filium præteritū uel in officio exhaeredatum, extraneo nihilominus haereditatem restituere debere, contra omnes D D. cum D. Bartholomæo Romuleo Præceptore nostro ac domino meo falsum esse intrepide sustinebimus.

XXII. Donationem omnium bonorum, præsentium & futurorum ualere, in puncto iuris defendi posse existimamus.

Disputabuntur hæ Theses, fauente Deo, die Veneris proxima, quæ erit 20. Maij, hora septima in scholis Canonistarum.

Ingolstadij excudebat Alexander Yueissenhorn.

NOBILI ET MAGNIFICO VIRO DOMINI  
IOANNI GEORGIO LISONGIO & CESARE MAESTATIS CONSUL  
P. D.

logisch) eckigept Alexander Neglectus.